



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 6. Iudæi carcere conclusi, qui Christum in carcerem coniecerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

integri menses intercesserunt. Vrbs enim  
14. die Aprilis obsideri cœpta, octauo die  
mensis Augusti à Romanis est capta. Ita  
non solùm electis succurrit Deus, sed etiam  
alijs, propter electos vnà habitantes: quem  
admodum & olim, vel propter decem ius-  
tos voluit Deus parcere Sodomitis.

Gen. 18.

320

## §. VI.

*Iudai carcere conclusi, qui Christum in carcerem coniecerunt.*

5. Christum ita solum captum, vt non  
in libertatem reponeret, Iudæi noctu, in  
aula Principis sacerdotum Caiphæ, carce-  
re clausum armata militum manu custo-  
dierunt. In obsidione Titus ita conclusit  
Iudæos, vt illis omnem exitum, ne quis vel  
ad herbas pascendas egredi posset, prohibe-  
ret, aggeribus quinque contra urbem ex-  
structis; quod opus cœptum duodecima  
mensis Maij, vigesima nona eiusdem mensis  
perfectum est. Aggeribus tamen his, per Iu-  
dæos erumpentes, dissipatis, Titus nouum  
opus aggressus est; murum enim construxit  
circa ciuitatem, vt omnis penitus exitus in-  
terciperetur; & quidem tanta celeritate  
consummatum est hoc opus, vt planè super-  
ret humanum captum. Quod Iosephus ad-

mirari

mirans ait: *Murus quidem vno minus quadraginta stadiorum erat. Ad hoc autem foris castella tredecim edificata sunt: eorum gyrus decem stadijs numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, ut tamen dignum mensibus videretur; celeritas verò fide caret. Hoc pacto factum est, quod dixit Christus exitium vrbis deslens: Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te (nempe muro) & coangustabunt undiq;.* Et ipse Iosephus ait: *Tum ergo velut in carcerem tota gens conclusa est, & facta hominibus ciuitas obsidebatur. Itaque Iudæi tamquam feræ in cauea, aut rei in carcere clauderentur, ut nemo exire, nemo fugere posset. Verè dictum: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nam & ipsi Christum ligatum in vinculis habuerunt; vicissim capiendi & ligandi.

Luc. 19.

Ioseph.  
lib. 7. de  
bell. Iud.  
cap. 17.

Matth. 7.  
2.

§. VII.

*Iudæi, qui Christo emendo vilissimum pretium constituerunt, vilissimo pretio venditi sunt & ipsi.*

6. *Vt autem Christum sic capere possent, vilissimo pretio à proditore Iuda Deum emerunt. Triginta argenteis venditus est, cuius sunt omnes thesauri totius mundi.* Si

S 2

jama